

dinalium favorem concernant, vel ipsa Constitutiones, edenda: de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum Consilio edita fuerint.

*De potestate Reverendiss. D. Vice-Cancellarii, & Cancellariam Regentis.*

71. Primò, quòd possit committere abolitionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delectent.

Item, quòd possit corrigere nomina, & cognomina perlonarum, non tamen eorum, quibus gratia, & concessiones fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore consistit.

Item, quòd possit omnes causas Beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia cum potestate citandi ad partes.

Item, quòd processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum in vocatione brachij Sæcularis, & sententias executionis demandari facere contra intrusos, & intrudendos per litteras Apostolicas desuper coficiendas, & non alias.

Item, quòd possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas de beneficijs Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus dispositioni Apostolicæ generaliter non-reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonensium, seu totidem in alia moneta secundum communem æstimationem valorem annuum non excedet.

Item, quòd possit signare supplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus si neutri, & subrogationibus pro colligantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quòd possit ad Ordines suscipiendos archatibus, prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus usque ad proxima, tunc à jure statuta tempora, in quibus sic archatibus succelsivè ad ipsos Ordines promoveantur.

*Placet, publicentur, & describantur. I.*

Lata, & publicata fuerunt supra scripta Regule, Ordinationes, & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex R.R. PP. DD. Majoris Præfidentie Abbreviatoribus, Anno Incarnationis Dominice millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, die verò sexta mensis Octo-

bris, Pontificatus prælibati Sanctissimi D. nostri Anno primo.

*Petrus Gemilis Procustos.*

83. Præterea, quando Rom. Pontifex confert beneficia, debet solvi Sedi Apostolicæ certum jus, quòd media annata dicitur, & est dimidia pars fructuum primi anni, quamvis olim integri proventus anni solverentur, & Annata dicebatur, quòd quidem jus licite petitur, & solvitur: quia hoc fit partim ad sustentationem Papæ, & Cardinalium, partim in recognitionem universalis domini, quo Ecclesia Romana gaudet super omnes Orbis Ecclesias, Et hac ratione talis juris petitio, & solutio est à Simonie labe immunis. Hæc quidem annata non solvitur, si beneficium non excedat 24. ducatos auri de Camera, & ideo non solvitur de pluribus beneficijs Hispaniæ, aliorumque Regnorum, quia non taxantur ultra 24. ducatos. In varijs Hispaniæ locis solvitur media annata, scilicet in Ecclesijs Conchenli, Abulensi, Seguntina, & alijs. In Diocesi Toletana media annata solvitur Capitulo Complutensi, & Ecclesiæ Toletanæ Rationarijs, ut habet Torrecilla. Deinde ex beneficijs unitis alicui communitati, vel loco pio solvitur: *Quindenna*, seu *Quindennium*: id est, singulis quindecim annis solvitur media pars fructuum talium beneficiorum: quia cum non vacent; loco annatæ solvitur quindenna, ac proinde, qui non tenentur ad annatam, nec ad quindennam tenentur. De Annatis agitur in *Extr. fin. de Elect. Joan. XXII. & integro Tit. de Annatis in lib. 7. Decretal. Lacr. lib. 4. ex n. 674.* Ad Sedis Apostolicæ exemplum nostri Reges in officiorum Sæcularium distributione exigebant olim certum jus, quòd *Hispanè* dicitur: *Mesada*. Et est pars redditum, quæ uni mensi respondet, & æstimatio fiebat, prout communiter tale officium in quinquennio antecedenti produxerat. Hoc tamen jus nunc solum exigitur (ex Concef. Urban. VIII.) quando nostri Reges presentant ad beneficia Ecclesiastica, Dignitates, Præbendas, Portiones, vel beneficia curata. *L. 1. tit. 17. lib. 1. R. Ind. ibi: Avenienduplicado à nuestro muy Santo Padre Urbano Octavo, que tuviese por bien de conceder Breve, para que se pudiesen cobrar para Nos, por las causas, y razones en el contenidas, los derechos de mesadas de todas las Dignidades, Canonias, Raciones, y medias Raciones, Ofi-*

*cios, y Beneficios Ecclesiasticos, Curatos, y Doctrinas, que huvieren vacado, y vacaren en nuestras Indias Occidentales siempre que Nos presentaremos de nuevo personas para ellas, à nuestros Virreyes, y Governadores, en execucion de las Leyes de nuestro Patronazgo Real, su Santidad lo tuvo así por bien, y mandò expedir en la dicha razon Breve, con calidad, que la cobranza no se haga hasta que sean passados quatro meses despues de aver tomado la posesion de la Dignidad, ò Prebenda, Oficio, Beneficio, Curato, ò Doctrina, la persona que fuere presentada à ella, y que el valor del mes se regule conforme à lo que huvieren valido, y rentado sus frutos, y rentas en los cinco años antecedentes al tiempo en que se tomare, ò huviere tomado la posesion ::::: entrando en este computo, no solo el valor de las rentas, diezmos, y gruesa de la Dignidad, ò Prebenda, Oficio, ò Beneficio, Curato, ò Doctrina en cada uno de ellos, sino tambien de lo que huvieren valido las obvençiones, y otros proventos, y emolumentos en el mismo tiempo, haciendo para esto todas las diligencias, y averiguaciones necessarias; y lo que en los dichos cinco años montare lo junten, y repartan por iguales partes en cada uno de los meses que contienen los cinco años, de forma, que quede claro, liquido, y averiguado lo que cupiere à cada mes, y cobren lo que montare de la persona que se presentare. Insuper in officiorum Sæcularium concessione exigunt nostri Reges mediam annatam, ut habetur in *L. 4. tit. 19. lib. 8. R. Ind. ibi: Que la media annata se pague de todas las Mercedes, Titulos, Oficios, y Rentas, que se dieren por Nos, ò por nuestros Consejos, Virreyes, Capitanes Generales, y otros Ministros de qualesquier Mercedes, y Oficios, que no fueren Ecclesiasticos, siempre que para ello sea necessario Cedula, ò Despacho nuestro, ò de nuestros Ministros: así en las primeras provisiones, como en los ascensos de unas Plazas à otras, en la misma especie de monedas, en que se pagare el util de ellas, regulandose este derecho por la mitad de lo que el primer año importare el verdadero valor de los sueldos, gages, castas, propinas, luminarias, y demás emolumentos, que se gozaren con cada oficio, aunque se den por asistencia, y trabajo personal: y de la paga de este derecho no se pueda eximir, ni excima ninguna persona de qualquier estado, calidad, ò condicion que sea. Que la satisfaccion de lo que importare la media annata sea en dos pagas iguales, por mitad: la primera luego de contado, antes de entregarse à la Parte el titulo, ò despacho del Oficio, Rentas, ò Merced; y la segunda den-**

*tro de un año, assegurandolo con fianzas à satisfaccion del Tesorero General de la media annata, si le huviere, ò de nuestros Oficiales Reales en las Indias, en cuyo poder ha de entrar. Milites, qui actu militant ab hoc onere eximuntur, & alij in calibus in prædicta Lege comprehensis, & prout Judex hujus causæ, attentis circumstantijs, decernat. In his Insulis est designatus unus ex Senatoribus Regijs, ut de his causis cognoscat. Aliæ instrucciones in *d. L. 4.* apponuntur: de quibus latiori calamo tractant Escalona, Gazoflac. *Regio Peruv. lib. 2. p. 2. cap. 35. & 36. Solorz. Polit. Indica, lib. 6. cap. 13. in fin. Et Supplem. Moveri, V. Annate.**

## TIT. VIII.

### De Concessione Præbenda, & Ecclesiæ non vacantis.

84. **U**T alicui beneficium conferripotissit, vacans esse, necessarium est. Si tamen ab alio, quam à Papa beneficium non vacans conferatur, irrita est ipso jure illius collatio. *c. 10. c. 40. 7. q. 1. c. 2. b. t. c. 4. de Donation. etiam si ab executore Pontificis conferatur, nec Episcopus, nec alius inferior Pontifice, potest delegare facultatem conferendi proximè vacatura beneficia. c. 11. b. t. nam solum Pontifex potest beneficium conferre, antequam vacet. *L. 5. t. 5. p. 1. L. 11. tit. 16. p. 1. ibi: Otorgar puede el Papa, è non otro ninguno los Beneficios ante que vacuen.* Tunc enim vacare beneficium dicitur, quando proprietario, vel possessore caret. *L. 10. tit. 16. p. 1. arg. l. 5. §. fin. ff. ad leg. Juliam, de vi publ. L. 22. §. 1. ff. de Usu, & habit.* Et quidem potest vacare. *1. de jure, & facto. 2. solum de jure. 3. tantum de facto. De jure, & facto* beneficium vacat, quando apud nullum est titulus, & possessio illius. V. g. si Beneficiarius est mortuus, vel resignavit, vel beneficium privatus est. *De jure tantum* vacat beneficium, quando jus, & titulum beneficij quis amisit, possessione retenta. V. g. si quis privetur titulo, & jure beneficij, vel ipso jure, vel per sententiam Judicis. *Arg. l. 10. tit. 16. p. 1. De facto tantum* vacat beneficium, quando beneficiarius retinet jus, & proprietatem beneficij, illius tantum possessione amissa. V. g. si quis est à beneficio depulsus, vel si beneficiarius diu abest, & ubi*

ubi nam sit, ignoratur. *Arg. l. 10. tit. 16. p. 1.* Quando beneficium tantum defacto vacat, cum verè vacans non sit, non potest alteri conferri; si defacto, & jure simul vacet, certè potest alteri conferri, cum verè vacans sit. *c. 2. b. t.*

85. Quando beneficium vacat de jure tantum non verò defacto, quia alius habet coloratam possessionem, quia scilicet beneficium à legitimo Collatore accepisset, & institutio, vel collatio, non sit notoriè irrita, quamvis ex defectu occulto titulus non subsistat, debet fieri mentio talis possessionis in rescripto impetrationis, & provisionis, cum hoc possit Pontificem movere, ne tam facile, vel ne absolute contulisset: alias talis collatio, ut subreptià esset nulla; imò antequam beneficium conferatur, debet citari possessor, & præcedente summaria causæ agnitione talis possessio injulta declarari. *c. 6. b. t. l. 10. t. 16. p. 1.* secus est si possessio colorata, non sit, eo quod possessor sine titulo colorato possideat, defectuque manifesto laboret, nam tunc non est necessarium in impetratione, vel provisione exprimere injultam possessionem. *L. 10. tit. 16. p. 1.* Nec est necessè possesorem citare, antequam beneficium conferatur, cum in notorijs non sit ordo juris servandus. Qui scienter passus est, se in beneficio non vacante, vel tantum vacante defacto, institui, excommunicandus est. *c. 1. b. t.* & beneficium sic obtentum, ita privatur, ut si postea vacet, illud nequeat obtinere sine Apostolica dispensatione. *C. 7. b. t. l. 13. tit. 16. p. 1.* Et in litteris Apostolicis debet præcedentis institutionis fieri mentio, alias provisio erit nulla. *Arg. c. 20. & 27. de Rescript. Greg. Lop. in leg. 13. tit. 16. p. 1. V. Ozro,* nisi forte de motu proprio procedat Pontifex. Si ignorantè conferatur beneficium nondum vacans, licet collatio sit nulla, nec per subsequentem vacationem convalescat. *Arg. c. 18. de Reg. jur. in 6.* nulli subjacet, poenæ, à qua ipsum ignorantia excusat; *arg. c. 1. b. t. l. 13. tit. 16. p. 1.* idem dicendum est de eo, qui promissionem beneficij nondum vacantis accepit, vel beneficium nondum vacans impetravit; qui licet illo careant nulla poena tenentur, cum regularitèr, non conatus, sed actus consummatus puniatur. *Arg. L. 1. §. Hæc verba, ff. Quod quisque jur. nisi in aliquibus casibus.*

Nec potest promitti beneficium viventis in casum, quo illud per mortem renuntiationem, vel alio modo vacaverit,

etiam si promissio fiat cum consensu ejus, qui illud obtinet. *c. 1. c. 13. b. t. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 19. Reg. 21. Canc. ell. L. 10. tit. 16. p. 1.* Hujusmodi enim promissio absolute irritatur, licet pactum de viventis hereditate solum irritetur, pro casu quo, non consentiat ille, de cujus hereditate agitur. Hujus prohibitionis rationem assignat Text. in *c. 2. b. t. ne scilicet desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium se crediderit successurum*: quod firmat exemplo Legum civilium. *L. fin. C. de Pass.* Ubi dicitur, quod hujusmodi passionis (de successione viventis) odiosa esse videntur, & plene tristissimi, & periculosi eventus, & talia pacta tamquam contra bonos mores inita repelluntur. *L. 10. tit. 16. p. 1. Gonz. in c. 2. b. t. n. 12.* Talis promissio etiam in scriptis facta est nullius momenti, ac proinde, cum nullum jus promissorio conferat, non auditur, si appellet à denegatione beneficij. *c. 3. b. t. Barbos. & Gonz. ibid.* Imò cum promissio beneficij nondum vacantis sit invalida, quia juri publico contraria, etiam juramentum ipsi adjectum irritum est: quippe accessorium sequitur naturam principalis. *c. 42. de Reg. jur. in 6. Sanchez. in Decal. lib. 7. cap. 2. n. 33. Gonz. in c. 2. b. t. n. 12. in fin.* Nec Patroni possunt promittere, aliquem præsentare ad beneficium vacaturum, nec dare alteri facultatem præsentandi ad aliquid beneficium, cum vacaverit, in specie quidem, respectu certi beneficij, vel certæ personæ. *c. fin. b. t.* potest tamen patronus, præsertim Laicus, alij generatim committere facultatem præsentandi ad beneficia, cum vacaverint. *V. g. Procuratori;* nam tunc cessat periculum captandæ mortis alterius propter beneficium. Et similiter potest ex hac ratione Episcopus Vicario Generali in genere committere facultatem conferendi beneficia proximè vacatura.

86. Licet olim teneret promissio facta à Prælo de conferendo beneficio, cum potuerit. *c. 14. b. t.* cum tamen sub tali palliatione verborum via aperiretur ad promittenda damnabiliter contra Lateranensè Concilium in *c. 2. b. t.* beneficia vacatura; hinc in *c. 2. b. t. in 6.* prohibetur omnis promissio sub quacunque formâ verborum, per quam datur via ad beneficia vacatura, quippe ex ea mortis alienæ votum ingeritur, & Ecclesijs, ac Prælati, & personis Ecclesiasticis gravamina plurima inferuntur. Quando Patroni, vel Collatores Clericis, sibi commendatis pro-

promittunt, se illis beneficium, cum tulerit occasio, collaturos, nullum jus dant ad beneficium, sed potius quam obligationis, sunt verba urbanitatis. Hodie ex *Trid. sess. 24. de Ref. c. 19.* nulli, nisi R. Pontifici competet dare gratias expectativas, & mandata de providendo.

87. Plures quidem in jure nostro Canonico habentur casus, in quibus ex ipsius juris dispositione vacat beneficium, scilicet, si beneficiatus Religionem sit professus. *c. 4. de Reg. in 6.* vel si Matrimonium valide contraxit. *c. 1. c. 3. de Cleric. conjugat.* vel si militiam secutus est; *arg. c. fin. de Cleric. non resid.* vel si intra annum à die possessionis beneficij Parochialis adeptæ, vel quo per ipsum, quominus adipisceretur stetit, non suscepit Sacerdotium. *c. 14. de Elect. in 6.* vel si beneficium incompatible obtinuit. *c. 7. §. Cum verò, de Elect. c. 28. de Præbend.* Vel si vi occupavit possessionem beneficij ipsi collati. *c. 18. de Præbend. in 6.* vel si litigans impediatur sequestrationem decretam, aut præsumat quoquomodo occupare fructus sequestratos. *Clem. un. de Sequestr. possess.* vel si administrationi se ingerat ante confirmationem, vel institutionem. *c. 17. de Election. vel si episcopus Electus, cessante impedimento, non petijt confirmationem intra tres menses post prælitum consensum. c. 6. de Elect. in 6.* vel si distulit consecrationem ultra tempus jure præfixum post assecutum pacificam Episcopatus possessionem. *c. 7. §. Cum verò, de Elect. vel si Prælati sine debitis solemnitatibus, vel inconsulto Pontifice res Ecclesiæ immobiles, vel mobiles pretiosas alienavit. Extr. un. de Reb. Eccles. non alien. inter com.* Denique si committat crimen, cui ipso jure privatio beneficij annexa est, ut sunt hæresis, sodomia repetita, falsificatio litterarum Pontificis, assassinium, vel alia, de quibus in jure. Aliquando quidem beneficium non ipso jure vacat; sed per sententiam Judicis privatur quis beneficio. Et magnum quidem versatur discrimen inter privationem beneficij ipso jure inflictam, & inter eam, quæ per sententiam Judicis decernitur: nam ut Juxta privet aliquem beneficium, non requiruntur adeo gravia crimina, sed minora sufficiunt. V. gr. perjurium, homicidium simplex, adulterium, concubitus publicus, sodomia non frequentata, & alia hujusmodi. Et ante sententiam potest beneficiatus permutare, & resignare beneficium: secus quando ipso jure privatus est. Si privandus per sententiam,

ante eam moriatur, beneficiatus non ex causa delicti, sed mortis causa vacat. Si privatus ipso jure moriatur non vacat per mortem ejus beneficium; quippe jam vacaverat, & beneficium, quod ipso jure est amissum, potest alteri conferri, etiam non vocato criminoso: secus, quod per sententiam est auferendum, Beneficiarius privandus, ante sententiam, facit fructus suos, nec post sententiam tenetur eos restituere; qui ipso jure privatus est, tenetur restituere, etiam fructus perceptos ante sententiam declaratoriam crimines, quia hæc ad tempus criminis commissi retrahuntur. *Sanct. in Decal. lib. 12. cap. 26. n. 10. & alij.*

88. Denique per mortem naturalem beneficiati ita vacat beneficium, ut licet postea resurgeret ipse, illud non recuperaret, sed esset necessaria nova collatio, quia mors omnia solvit. *Novel. 22. cap. 20.* Ut per mortem naturalem beneficium vacet, necesse est, ut beneficiatus habuerit jus in re, seu quasi dominium in beneficio, si enim nec confirmatus fuit in beneficio electivo, vel nondum accepit beneficium collativum, non censetur ejus morte vacare. Item requiritur, quod tale beneficium non sit unicum accessorie alteri beneficio: cum per unionem censeatur pars ejus, cui unitur; & quod non sit legitime suppressum: nam per suppressionem ipsum extinguitur. *Garc. de Benefic. p. 11. cap. 2. n. 2. & p. 12. c. 2. num. 12.* Nec per mortem Clerici, qui deseruit beneficio, quod ad Prælati, vel Capituli mentem pertinet, vacat beneficium, cum non Clericus, sed Prælati censeatur beneficiarius. *Garc. de Benefic. p. 11. c. 2. n. 3.* Nec mortuo Clerico vacat beneficium situm in Ecclesijs non numeratis, ubi scilicet, plures, vel pauciores Canonici possunt institui pro arbitrio Episcopi, vel Capituli; sed cum defuncto extinguitur, & alio instituto novum jus creatur, & ille censetur, ac proinde non est locus devolutioni. *c. 10. b. t.* similiter, nec vacat beneficium morte supernumerarij, cum non sit stabile beneficium, sed tantum ad ejus vitæ tempus concessum.

89. Beneficium collativum debet conferri intra sex menses: quia vacatio diuturna est proculdubio Ecclesijs, & animabus damnosa. *c. 2. b. t. L. 8. tit. 16. p. 1. Barbos. Jur. Eccles. L. 3. cap. 13. n. 107. Gonz. in c. 5. b. t. n. 7.* Et quidem tale semestre non à die, quo beneficium vacavit, sed à die, quo ejus vacatio in-

notuit collatori, debet numerari, quia ignorant, & legitime impedito, five impedimentum sit juris, five facti, tempus non currit *c. 5. b. t. cum ipsi non possit negligentia imputari, licet in tale impedimentum ipse ob propriam culpam incidit, v. gr. in suspensionem, dummodo non sit in culpa auferendi impedimentum. c. 5. b. t. l. 8. tit. 16. p. 1. Papa, & Legatus à latere non ligantur hoc termino, nec beneficia Ecclesiarum, non numerata, sed possunt conferri, quando collatoribus libuerit. Idem semestre conceditur Electoribus ad beneficia electiva minora. c. 12. b. t. ad Prælatum verò, five Saculares, five Regulares, propter majus periculum, quod animabus imminet ex vacatione diuturna, tantum conceditur trimestre. c. 41. de Elect. l. 8. tit. 16. p. 1. Gonz. inc. 2. b. t. n. 8. Idem semestre conceditur Patreño Ecclesiastico ad præsentandum: Laico verò quadrimestre. Hoc quidem semestre à die notitiæ vacationis est continuum, & currit etiam diebus feriatis à momenti ad momentum. V. g. ab hora 8. antemeridiana diei 14. Januarij, usque ad ipsam horam 8. diei 14. Julij, & non post eam. Arg. l. 5. §. 3. ff. de Minor. Barbof. in c. 5. b. t. n. 11. Sanch. de Matrim. l. 2. d. 24. n. 16. eo elapso statim, quin negligentia Collatoris purgari possit, neque per in integrum restitutionem; jus conferendi ad immediatum superiorem devolvitur. V. g. ad Episcopum, qui potest tale beneficium conferre, & in illius possessionem beneficium inducere, si ante elapsum tempus conferret, collatio esset ex defectu potestatis, nulla, nec postea convalesceret, facta devolutione. Arg. c. 18. de Reg. jur. in 6. debet tamen denuò conferre, postquam ad ipsum collatio devoluta est ob temporis lapsum, etsi immediatus non conferat devolvitur ad superiorem gradatim. l. 8. c. 9. tit. 16. p. 1. Hodie devolvitur jus eligendi Episcopum, ubi adhuc servatur electio, non ad Archiepiscopum, sed ad Papam: cum in hoc resideat jus Episcopos confirmandi, Episcopatus, & alia Prælatu- ræ exemptæ; & immediatè Pontifici sub- jectæ, quæ nullius Diocesis sunt, devol- vuntur immediatè per negligentiam Elec- torum, ad S. Pontificem: c. 32. §. Prohi- bemus, de Præbend. in 6. Beneficia exempta immediatè subiecta Pontifici, sita in Dio- cesi alicujus Episcopi, ad ipsum, ut Sedis Apostolicæ delegatum devolvuntur. Clem. un. de Suppl. neglig.*

## T I T. IX.

## Ne Sedevacante aliquid innovetur.

90 **A**D cognoscendum, quid possit, vel non possit Capitulum Sedevacante facere, sciendum est, quod quædam causæ, & negotia competunt Episcopis jure ordinario, alia verò ex privilegio vel commissione speciali, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. Ecclesiarum Sedevacante, Capitulum quod est quasi senatus Ecclesiarum c. 7. 16. q. 1. succedit in omnia, quæ Episcopo jure ordinario competunt; nisi aliquid specialiter prohibeatur. c. 11. c. 14. de Majorit. c. obedi. c. un. eod. in 6. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 16. c. comm. DD. hoc enim ipsa utilitas Ecclesiarum exigit, ne ipsa vacante anima, & Ecclesia ipsa in suis rebus detrimentum patiantur. Si Sedes Metropolitana vacet, succedit Capitulum, non solum in ea, quæ Archiepiscopo competunt, ut Episcopo, sed etiam in ea, quæ ipsi, ut Archiepiscopo competunt, ac proinde superioritatem habet in Ecclesiis suffraganeis, & supplet negligentiam suffraganeorum jure devoluta, & ad ipsum à suffraganeorum sententia appellatur. Arg. Extr. 5. de Præbend. inter eom. Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. l. 3. cap. 13. n. 53. c. 54. Et Polit. l. 4. cap. 13. Nisi aliquid specialiter prohibeatur ipsi Capitulo, ut Concilium Provinciale congregare, si Provinciale Concilium congregetur; aliquo Episcopatu vacante, ejus Capitulum vocari debet, poteritque suum Vicarium Generalem cum speciali mandato mittere. c. fin. de His, que sunt à Prælato. sed quamvis hoc de jure procedat, & aliquando Capitula ad Concilium sint vocata, jam pluribus retrò sæculis hoc jus consuetudine sublatum est. Gonzal. in c. fin. de His, que sunt. Et alij DD. in id. Ecclesiarum Collegiatæ, & Regulares, pleno jure exemptæ, cum æquiparentur Cathedralibus, earum Capitula, Sedevacante, gaudet eadem potestate, & jurisdictione, quam habet earundem Prælati. Si exempta non sint, Sedevacante, transit jurisdictione, ad Episcopum, licet earum Prælati jurisdictionem privativam cum exclusione Episcopi in Clericos haberet. Capitula, & Conventus Regularium, mortuo Prælato, gaudet ca-

## Ne Sedevacante aliquid innovetur.

eadem jurisdictione, & potestate, quoad ea, quæ disciplinam regularem concernunt. c. fin. de Regular. in 6.

91 In illis causis, & negotijs, quæ Episcopo jure speciali, vel ex commissione competunt habet locum regula præsentis rubricæ. Ne Sedevacante aliquid innovetur. Ea enim ad Capitulum, non transeunt, etiam si delegatio Episcopo sit facta à Jure Communi, vel Concilio Generali: quia dignitati facta censetur, in quam Capitulum non succedit. Glos. in cap. 9. de Heretico. c. com. DD. nisi forte illa potestas, seu facultas competat Episcopo, etiam jure ordinario, & insuper addatur, Episcopo etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegato, talem facultatem concedi, ut sæpe in jure contingit: Tunc enim licet Capitulum non succedat in eam facultatem, quatenus delegata est Episcopo, in illam succedit, quatenus Jure Ordinario Episcopo competit. Sic Capitulum potest compellere exequi testamentum, quamvis hæc potestas competat Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2. quia talis potestas Jure Ordinario Episcopis competit. c. 3. de Testament. sic Molina, Matienzo, Sanch. de Matr. lib. 8. d. 2. n. 10. c. alij contra alios.

92 Licet Jure antiquo posset Capitulum per se ipsum exercere ea, quæ spectant ad jurisdictionem, & administrationem Episcopalem: secus ex Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. nam cum communiter negligantur quæ communiter administrantur, & possidentur. l. 2. in pr. c. Quando, c. quibus quar. deb. debet Capitulum pro administratione spiritualium Officiale, vel Vicarium Generalem constituere, vel præxistentem confirmare, & quidem intra octo dies à tempore vacationis: alias illius designatio ad Archiepiscopum devolvitur: vel si à Capitulo Ecclesiarum Archiepiscopalis debeat constitui, devolvitur ad Episcopum antiquiorem ex suffraganeis. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. Interim dum eligitur, jurisdictionis administratio penes totum Capitulum residet. Barbof. de Pot. Episc. alleg. 54. n. 163. Et Jur. Eccles. l. 1. cap. 32. n. 29. Pro temporarium tamen administratione unum, vel plures Æconomus debet Capitulum constituere, ut res, & jura Ecclesiarum servet illæsa, & colligat fructus, & redditus, successorique custodiat. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. Et licet pro Æconomi constitutione nullum tempus sit determinatum, tamen ex praxi communi à paritate

rationis, deputatur intra octo dies: in quibus, etiam de Vicarijs foraneis, aliisque Officialibus providetur. Vicarius, Æconomus, & alij Officiales tenentur suæ administrationis rationem reddere Prælato successori, si petat, etsi eam Capitulo reddidissent. Garc. de Benef. p. 5. cap. 5. n. 23. In his Indiarum partibus Episcopus a Regibus Nostris præsentatus, etiam ante confirmationem, suscipit ab ipso Capitulo administrationem in spiritualibus, & temporalibus vi Rescripti Regij, quod Hispanè dicitur: De ruego, y encargo. Solorz. de Jur. Indiar. t. 2. l. 3. cap. 13. Et in Polit. l. 4. cap. 13. f. 609. c. alij, & habetur in quodam Decreto Regio post. tit. 6. lib. 1. R. Ind. f. 30. Hinc est, quod si Episcopus jam consecratus unius Diocesis ad alium Episcopatum transcurat, & vi prædicti Rescripti antiquam dederat Ecclesiam, ad gubernandam secundam, etiam ante Pontificis confirmationem, & ante notitiam expeditionis Bullarum, statim ac egreditur antiquæ Diocesis fines, vacare censetur illa Ecclesia. Nam per itineris atreptionem illi videtur renuntiatum vi licentiæ præsumptæ à Pontifice concedendæ, ac proinde ille Episcopus non potest antiquam Ecclesiam per Vicarium à se assignatam gubernare, ne simul duas Ecclesias in Regionibus distantibus administratione videatur: sed debet ejus administrationem Capitulo relinquere. Sic Solorz. de Jur. Indiar. tom. 2. l. 3. cap. 13. n. 72. c. in Polit. Indiar. l. 4. cap. 13. f. 609. ubi fundamenta, & AA. refert, & contra-rijs respondet.

93 Cum Capitulum, Sedevacante, Episcopali jurisdictione gaudeat, potest consequenter cognoscere de omnibus causis ad Episcopum pertinentibus, etiam decimaribus, matrimonialibus, & criminalibus. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 20. potestque in excessus, & crimina per viam inquisitionis procedere, potest censuras ferre, & ab eis abolvere, dispensare in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta, quæ ex homicidio voluntario oritur, & alijs deductis ad forum contentiosum. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. Item valet in votis, & juramentis dispensare, in defectu natalium ad Minores Ordines, & beneficia simplicia: in observatione festorum, & jejuniorum, & in alijs casibus, quando difficilis est recursus ad Romanam Sedem. Potest Sacerdotes approbare ad confessiones audiendas, & facultatem dare absolvendi à censuris, & calibus Epil-

copo reservatis, & revocare approbationes, & has facultates, etiam ab Episcopo concessas. Matrimonio potest assistere, & alijs Fratribus hanc licentiam concedere, & dispensare in denuntiationibus, & in petitione debiti conjugal: potest, elapso anno vacationis, dare dimissorias suis Dioecesanis, ut ab alijs Episcopis ordinentur. *c. 3. de Tempor. ordin. in 6.* & eodem anno elapso, & non antea, etiam in interstitijs potest dispensare, cum hæc facultas non sit annexa Dignitati Episcopali aliquo jure speciali. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 11.* & ita sæpe decum est. *Solorz. in Polit. Ind. lib. 4. cap. 13.* Potest Dioecesim visitare, cum hoc ad jurisdictionem ordinariam Episcoporum spectet. *c. 16. de Offic. Ordin.* sed in his Indiarum partibus ex varijs Rescriptis Regijs non mittit Capitulum Visitatoris, nisi anno vacationis elapso, & quidem enixe prohibetur, ne Episcopi, nec Capitula, Sede vacante, visitent Dioecesim per Canonicos Ecclesie Cathedralis, sed per alios Visitatores, à quibus Regijs Rescriptis cum fuisset supplicatum, videtur esse revocata, & esse standum juri Communi. *Solorz. Pol. Ind. L. 4. cap. 13. f. 602. & in L. 24. tit. 7. lib. 1. R. Ind.* injungitur Episcopis Indiarum, quod personaliter visitent suas Dioecesim, vel saltem, per Ecclesiasticas personas ad hujusmodi ministerium idoneas.

94. Potest statuta, totam Dioecesim obligantia, condere, dum non præjudicent Dignitati, vel Mensæ Episcopali: potest dare licentiam Ecclesiam edificandi, beneficium Ecclesiasticum fundandi, & ex eo jus patronatus acquirendi, Clerico subdito recedendi ad tempus a loco sui beneficii ex justa causa, ut peregrinationis, & etiam, perpetuo transcundi ad aliam Dioecesim. Potest licentiam dare Novitijs de suis bonis disponendi, Monialibus egrediendi à suis Monasterijs, & alijs in ea ingrediendi: potest charitativum subsidium ex justa, & manifesta causa exigere, Clericos suos subditos, ad titulos suorum beneficiorum exhibendos cogere, & si plura obtineant incompatibilia beneficia, ad exhibendam dispensationem compellere valet, licet triennio pacifice sint ob eis possessa, ut sic de bona fide, & Titulo colorato constet. Beneficiatis, & pensionarijs congruas portiones potest assignare. Potest etiam ultimas voluntates ex justa causa commutare, eas exequi, quando exequi potest Episcopus, ad earum executionem compellere executores ra-

tionisque ab administratoribus piorum locorum exigere.

95. In pluribus tamen casibus Capitulum non succedit Episcopo: Nam Capitulum nequit facere ea, quæ Episcopo ex privilegio speciali competunt: sic non succedit Electoribus Imperijs, in jus eligendi Imperatorem, quia id Archiepiscopis Electoribus competit ratione Dignitatis ex privilegio speciali. Si vero, id quod Episcopo conceditur in ordinariam potestatem illius transijt, & non in jure mere delegato consistat, succedit Capitulum. *Santh. de Matr. L. 8. D. 2. n. 10. Molin. Matienzo; & alij contra Suar. de Conf. D. 41. sect. 2. n. 13.* Nec succedit in potestatem, quam Episcopus præcise tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus à jure aliquando in exemptos habet: scilicet si jure Ordinario prorogata habeat. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 92. n. 17. Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 47.* Hinc non potest Capitulum Visitare Monasteria Monialium exempta, cum hæc potestas sit Episcopo expressè delegata à Pontifice sub nomine Dignitatis. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 9.* ibi: *Ab Episcopis tamquam dicitur Sedis delegatis.* *Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 45.* contra *Barb. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 107.* & alios: ijdem tenent, Capitulum succedere Episcopo in facultatem concedendi indulgentias: sed licet verum sit, quod potest Capitulum alicui Episcopo committere facultatem concedendi indulgentias, tamen eas per se, non potest concedere: quia hæc facultas specialiter conceditur Dignitati Episcopali, in quam non succedit Capitulum. *Arg. c. 12. de Excess. Prælator; & ita tenent Suar. de Pensionent. D. 55. n. 5. Soto; & alij.* Nec potest Capitulum suppressere beneficium, vel præbendam, cum *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 15.* hæc facultatem concedat Episcopis nomine Dignitatis, non Abbatibus, nec alijs Prælatibus Regularibus, etiam quasi Episcopali jurisdictione gaudentibus: ac proinde, nec Capitulis. Et sic declaratum est. *Quem. ad Trid. sess. 24. de Ref. cap. 15. n. 3. Barbos. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 99. & 122.* Nec succedit in feudum, quod solum ad Episcopum pertinet, succedit tamen in feudum ad Episcopum, & Capitulum, simul spectans, ac proinde potest de eo cognoscere, & inspicere. *Arg. c. un. b. 1. in 6.* Nec potest intra annum luctus, vel viduitatis, scilicet à die vacationis concedere litteras dimissorias suis Dioecesanis, ut ab extraneo Episcopo ordinentur, nisi arctati sint ratione

ratione beneficii recepti, vel recipiendi. Et Capitulum contraveniens, interdico Ecclesiastico subjacet. *Trid. sess. 7. de Refor. cap. 10.* Nec licentiam ad novum Monasterium edificandum concedere valet, quia licentia Episcopi pro forma videtur requiri in *Const. Quoniam 23. Jul. Ann. 1603. Greg. XIII.*

96. Quodlibet Capitulum, Sede vacante, & ejus Æconomus ex juxta causa potest alienare res, quæ servando servari nequeunt, quin autoritas Superioris interveniat, sicut Tutores, & similes res pupillares alienare possunt, sic resta administratione exigente. *L. 22. in fin. C. de Administr. Tutor.* Capitulum Ecclesie Collegiate, vel Regularis subiecta Episcopo, dum sedes vacat, valde gravi causa urgente, ob quam nequit expectare, donec de successore provideatur, potest simul cum Episcopo, qui immediati superioris vicem gerit, præcedente tractatu, & causa cognitione, alienare, etiam res, quæ servando, servari possunt. Capitulum Cathedralis Ecclesie, Sede vacante, vel alterius Ecclesie exemptæ, & immediatè Pontifici subiecta, non potest sine Sedis Apostolicæ autoritate bona immobilia alienare. *Arg. c. 1. b. 1. Nisi adeo gravis necessitas sit, ut nequeat ad Pontificem recurri pro licentia, nec usque ad futurum successorem alienatio possit differri: tunc enim præcedente tractatu, & causa cognitione potest alienatio fieri à Capitulo, & etiam mutuo pecunias accipere potest.* *Arg. c. 3. de Perijs, Gloss. in c. 16. §. Ad hoc, de Elect. in 6. V. Aliunde.* Nec potest Capitulum, Sede vacante, sine Papæ licentia bona ad Mensam Episcopalem pertinentia, ad Mensam Capitularem transferre: imò talis translatio omnino invalida est, quia Dignitas Episcopalis legitimo caret defensore, nec Capitulum potest Autoritatem, sibi in propriam utilitatem præstare. *Arg. c. in fin. de Infit. L. 5. ff. de Auth. Tutor. Gloss. in Cl. 2. de Reb. Eccles. non alien. V. Mensæ.* Nec tenet talis dispositio, etiam si quis Capitulum jurasset, se statum tali dispositioni, si Episcopus eligatur. Nec potest Capitulum Ecclesie Cathedralis, vel exemptæ litteri super bonis, & Juribus Ecclesie inchoare, nec prosequi inchoatam ab antecessore Episcopo. *c. in fin. b. 1. nisi habeat administratorem ad hunc effectum à Papa designatum.* *Arg. cap. 42. de Elect. in 6.* Ecclesia enim jure minoris gaudet. *c. 1. de In integr. restitut.* ac proinde sententia contra ipsum Curatorem

destitutum, tamquam contra indefensum, non tenet. *L. 45. l. 54. ff. de Re judic.* Et ex hac ratione non potest Capitulum nisi si in casu ingentis necessitatis agere in judicio, neque de Juribus Episcopi proprijs, nec de communibus Episcopo, & Capitulo. Super bonis vero, quorum administratio solum ad Capitulum spectat, potest quidem Capitulum per Syndicum, vel Procuratorem agere, & conveniri. *c. 3. de Caus. posses. & propriat. Capitulum Ecclesie Collegiate, vel Conventualis Episcopo subiecta potest in judicio agere, & conveniri autoritate Episcopi sui immediati Superioris interposita, si necessitas exigat, vel vacatio diuturna timeatur.* *Arg. c. 41. de Election.* Si Ecclesia inferior non sit Collegiata, nec Conventualis, Episcopus ejus jura tueri potest, præsertim, si diutius vacet, quæ potestas, sicut, & alienationes approbandi, cum Jure Ordinario ad Episcopum spectet, ad Capitulum, Sede vacante, transire, consequens est.

97. Capitulum, Sede vacante, nequit conferre beneficia, quæ ad liberam iolius Episcopi Collationem spectant. *c. 2. b. 1. c. un. eod. in 6. c. 1. de Infit. in 6.* Quia talis collatio, ut fructus Dignitatis Episcopalis consideratur. *Gloss. in c. 14. de Major. & obed. V. Capitulo;* ac ut talis Episcopo successoris debet reservari. *c. 4. de Offic. Ordin. c. 40. de Elect. in 6.* ubi ubi servetur. *2. Regul. Cancel.* in qua talis collatio reservatur Pontifici. Si collatio pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, uno eorum deficiente, vel inhabili facto, ad alium jus conferendi devolvitur: sic mortuo, vel suspensio Episcopo, Capitulum, suspensio Capitulo, vel omnibus de Capitulo excommunicatis, Episcopus confert beneficia vacantia. *c. un. b. 1. in 6.* dum tamen intra tempus ad conferendum præfixum, non obtineat Episcopus, vel Capitulum, cum possunt, abolutionem à suspensione, ita ut sint in mora petendi absolutionem: licet aliter. Quando in fundatione alicujus beneficii cavetur, quod Episcopus illi conferat cum consilio Capitali, cum talis fundatio non faciat provisionem communem cum Capitulo, siquidem nullum jus dat Capitulo, sed solum ejus Consilium, tamquam conditio requiritur, non potest Capitulum Sede vacante, illud beneficium conferre. *c. un. §. Con vero, b. 1. in 6. Barbos. L. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 110. Gonz. in c. 2. b. 1. num. 5.* Quoad collationes necessarias, ut actus neces-

necessaria jurisdictionis, ita jus ad Capitulum transferatur, ut non teneatur ad eas faciendas successorem Episcopum expectare. *c. 14. de Major. c. 1. de Infit. in 6.* Hinc potest influere presentatos, confirmare electos, vel etiam electionem infirmare. *Barb. l. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 95. cum Abb. in c. 2. b. t. & alijs.* Quod si Patronus Laicus, simul, vel successivè plures ad idem beneficium præsentet, potest Capitulum instituere quem malit. *Gonz. in c. 2. b. t. n. 5.* Potest etiam conferre beneficia, quæ ex fundatione personæ certæ debentur, quia tunc collatio est necessaria, & sane potius provenit à fundatore talem personam designante, quam à collatore, qui est quasi executor: secus, si non personæ certæ: sed tantum familie certæ deberentur, quia esset libera respectu electi. *Gonz. in c. 2. b. t. n. 5.* Et in his indiarum partibus Capitulum Sedevacante confert, & dat institutionem Canonice omnibus beneficiis, siquidem omnes præsentantur, vel à Rege nostro, vel à Pro-Regibus, & Gubernatoribus, vi Patronatus Regij. *Solorz. an. Polit. Ind. l. 4. cap. 13. f. 605. & de Jur. Ind. tom. 2. l. 3. cap. 13. n. 32.* Si Sedevacante, aliquod etiam vacet beneficium, potest Capitulum ordinaria, & necessaria jurisdictione utens in Ecclesia, & animarum commodum, illius administrationem, & curam Clerico idoneo ad sex menses cum stipendio congruo assignare, & etiam hoc tempus illi prorogare, quousque ab Episcopo alteri conferatur beneficium. *Barb. l. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 94.* Beneficia vacantia ex permutatione necessaria, vel acceptata ab Episcopo, qui morte præventus non potuit conferre, conferuntur vi jurisdictionis necessariæ à Capitulo: secus si resignatio nondum fuit ab Episcopo acceptata: tunc enim successoris reservantur, quia solum acceptatione interveniente, resultat necessitas conferendi beneficium illi cum quo fit permutatio. Beneficia ad Episcopum ex negligentia collatoris devoluta, possunt à Capitulo conferri cum talis collatio videatur actus jurisdictionis necessariæ; tenent *Molin. de Just. & Jur. tr. 5. D. 11. n. 12. Zerol. Prax. Episc. p. 1. V. Capitulum, §. 5. Lambertin. de Jur. Patr. p. 3. q. 2. art. 8. n. 6.* contra *Garc. de Benef. p. 5. c. 7. n. 42. Barb. l. 1. Jmr. Eccles. cap. 32. n. 110.*

98 Quamvis major requiratur potestas ad unenda beneficia, quam ad conferendum ipsa, cum tamen unio sit actus jurisdictionis ordinariæ, non gratiosæ, & voluntariæ (ut est collatio) sed necessariæ,

eum solum necessitate exigente fiat, potest Capitulum Ecclesiæ, & beneficia unire, dummodo unio non fiat in favorem Capituli, nec jus Episcopi diminuat: quod fieret uniendo beneficium Ecclesiæ Episcopo non subiectæ. *Barb. l. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 98.* contra *Azor. p. 2. l. 3. cap. 38. q. 9.* Sed licet possit Capitulum, Sedevacante Ecclesiæ unire, non tamen potest unitas separare, ut ex *c. 1. b. t.* tenent *Gloss. & Barbos. ibid. n. 1.* Et ratio disparitatis est: nam per unionem utriusque Ecclesiæ consultitur, nam illa, cui fit unio, amplior fit; illius verò, quæ unitur paupertas subleatur: è contrario per unionis dissolutionem utriusque generatur præjudicium, nam unita amittit commodam, & privilegia adquirenda per unionem, alia amittit amplitudinem, quam ex alterius voluntariæ beneficii, quod ad solius Episcopi collationem pertinet, cum hoc ad jurisdictionem ordinariam Episcopi spectet, in quam succedit Capitulum, non tamen potest illud alteri conferre: quia hoc pertinet ad jurisdictionem gratiosam. *Garc. de Benef. p. 11. cap. 3. n. 258. Barb. lib. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 96.* contra *alios.* Denique tamquam regula Generalis tenendum est, quod Capitulum Sedevacante, potest exercere, quæ pertinent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, sive voluntariam, sive contentiosam: non verò potest exercere ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, nec ea, quæ sunt jurisdictionis delegate, & extraordinariæ, vel ex privilegio, nec ea quæ cedunt, vel cedere possunt in præjudicium Ecclesiæ. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. ex n. 38. Barbos. in c. 2. b. t. n. 3. Gonz. in c. fin. b. t. Solorz. de Jur. Ind. tom. 2. l. 3. cap. 12. n. 2. & 3. Dian. in Sum. V. Capitulum, & communic. DD. ex c. 11, c. 14. de Major. & obed. c. un. cod. in 6.*

## TIT. X.

## De his, quæ sunt à Prælato sine consensu Capituli.

99 CUM hic agendum sit de causis, quæ à Prælato possunt fieri sine consensu Capituli, & quæ cum ejus consensu, vel consilio agenda sunt, nec-

esse est prius dicere, quid veniat nomine Capituli, & quomodo legimè congregandum sit. Capitulum aliquando sumitur pro illo parvo loco, in quo Religiosi conveniunt. Aliquando etiam sumitur pro Congregatione Religiosorum, Canoniorum, vel aliorum Clericorum, imò & Laicorum Sæcularium; sic enim appellatur in Civitatibus Congregatio Decurionum, *Hispani: Cabildo, Ayuntamiento, Justicia, y Regimiento. Hevia in Cur. p. 1. §. 1. Bobad. & alij.* Et quidem in præfati Capitulum est Universitas, seu Collegium Clericorum (solum enim agimus de Capitulis Ecclesiasticis) qui sub uno Prælato, ut membra sub uno capite degunt, & cum eo unum corpus constituunt. *Gonz. in c. 1. de His, quæ sunt à major. parte num. 4.* Aliud est Sæculare, aliud Regulare, Sæculare est, quod ex Clericis Sæcularibus constituitur. Et si in Ecclesia Cathedrali, Metropolitana, vel Collegiata sit, dicitur Capitulum Cathedralium, Metropolitanum, vel Collegiale. *Capitulum Regulare est quod ex Regularibus constat, ad quod solium pertinent Presbiteri, non vero Novitij.* Ad Capitulum Cathedralium Ecclesiæ pertinent Canonici, quorum caput est, non Episcopus, sed Decanus, qui nomine Capituli constituitur, etiam si Canonici non sit, *c. 7. de Consec. præbend. & Capitulo præfideat.* Excluduntur à Capitulo Portionarij, & ceteri Beneficiati ejusdem Ecclesiæ, imò & Dignitates, nisi forte prædicti vocem in Capitulo, speciali statuto, vel consuetudine habeant: & quidem jure antiquo omnes Canonici Cathedralium, & Collegiatarum, & omnes Religiosi in suis Monasterijs Capitulum constituunt, cum suffragium, seu vocem activam haberent: *arg. c. fin. 16. q. 7. c. 3. 18. q. 2. c. 1. de Elect. sed ex Clem. 2. de Atrat. & qualit. Et Trid. sess. 22. de Reform. cap. 12. n. 2. & 3. Dian. in Sum. V. Capitulum, & communic. DD. ex c. 11, c. 14. de Major. & obed. c. un. cod. in 6.*

munem; commune item sigillum, quo negotia, & acta Capituli, quæ talis expeditur. Actorem communem, seu Syndicum, per quem controversiæ, & jura Capituli tractantur, & defenduntur: alias non communitas, sed singularitas esset. *Gonz. in c. 1. de his, quæ sunt à major. parte. n. 4.* Episcopus convocat Capitulum; quod si Sedes vacet, vel si de negotio ejus agatur, non ejus Vicarius, seu Officialis, sed Præpositus, vel Decanus, vel Senior, qui in ipso præcipuum locum obtenturus est, iuxta Ecclesiæ consuetudinem, illud convocabit. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6.* Episcopus de Jure Communi suffragium, non habet, nisi Canonici sit, vel speciale statutum extet. Et sane non debet Capitulum convocari tempore, quo Divina Officia celebrantur, nisi causa sit urgentis. *Barb. de Canon. & Dignit. cap. 35.* in loco tamen solito debet congregari, sed alium possunt eligere Capitulares, etiam nulla urgente causa, dummodò locus sit honestus, tutus, & non clandestinus, nec fiat in fraudem. Debent Capitulares convenire. *Capitulariter*, seu *Collegialiter*, hoc est; omnes in locum unum. Nam quod faciunt Canonici, vel Religiosi separatim *singula iter* fit, non *collegialiter*; ac proinde, non faciunt Capitulum; *arg. c. 5. de Probati. c. 55. de Election.*

100 Prælati plura nequit facere circa administrationem Ecclesiæ sefelo, quin & aliquando debet requirere consensum, aliquando tamen solum consilium Capituli. Quando ergo Prælati debet aliquid facere cum consensu Capituli, non sufficit requirere, sed sequi debet illius consensum. Quando vero aliquid facere debet cum Capituli consilio, sufficit, si illud exquirat, & congruo tempore responsionem expectet, quin sequi illud teneatur: cum consilium ex ipsa natura necessitatem inferat. *c. 7. de Arbitr. l. 2. §. fin. ff. Mandat. Et per consilij exquisitionem satisfit præcepto juris illud exquirendi, & potest haberi utilitas consilij, etiam si non sequatur consilium; nam Prælati consulentium rationibus instructus cautius, utilius, & efficacius geret negotium. Quando jus aliquod prohibet fieri alio inconsulto, v. g. Episcopo; necessitatem consensu indicat. *arg. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 16.* Etiam quis tenetur consilium alterius sequi, si in Lege, vel mandato dicatur, quod procedat secundum alterius consilium. Idem est, si ab alio est petendum consilium, non præficiet, ut Consiliario, sed ut præbente autoritatem actui,*

tui, & in alijs casibus. *c. 4. de Renunt. Et Glos. ibid.* in quibus consilium, non solum petendum, sed sequendum est secundum mentem Legis, vel mandati, quæ ex verbis colligi debet. Profectò: generaliter requiritur consensus Capituli, ut Episcopus possit procedere, quoties aliquod notabile præjudicium potest sequi Ecclesiæ successoribus. *L. 9. tit. 14. p. 1.* Hinc Prælatus Ecclesiæ habentis Capitulum nequit sine consensu Capituli res Ecclesiasticas immobiles, vel mobiles pretiosas ipsius Ecclesiæ alienare. *c. 52. 12. q. 2.* Irrita enim est Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque collaudatione, id est, approbatione, & subscriptione Clericorum. *c. 1. b. t. L. 2. tit. 14. p. 1. ibi: Enagenar puden los Verdados los bienes de sus Eclesias: mas esto se entienda, que debe ser fecho con otorgamiento de sus Cabildos. Et ibid. Greg. Lop. qui notat, jam ex consuetudine non requiritur subscriptionem Canonicoꝝ, ut in c. 1. b. t. Nec potest Episcopus obligare suam Ecclesiam per mutuum, vel alium contractum, nisi consentiente majori parte Capituli. *c. 4. de Fidejussorib. c. 2. de Solutio. L. 8. tit. 14. p. 1.**

101. Nec Episcopus sine consensu Capituli potest Beneficium, vel Ecclesiam, etiam si in eas jus Patronatus habeat, unire Collegio, vel Monasterio, vel Canonicali. *c. 8. c. 9. b. t. L. 9. tit. 14. p. 1.* quia est quedam alienationis species, cum Ecclesia unita proprium Rectorem amittat, & jus conferendi, & præsentandi extinguatur, quippe jam non est vacatura. Suae tamen mentis nequit Episcopus, etiam de consensu Capituli, Beneficium, etiam simplex, unire. *Cl. fin. de Rebus Eccles. non alien. ne in proprio facto autoritatem præstet, contra L. 1. ff. de Authoꝝ Tutor.* Hodie tamen ex *Trid. sess. 24. de Ref. c. 13.* sine consensu Papæ non potest Episcopus uniones Beneficiorum Curatorum facere, nisi pro fundatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, vel piorum locorum deservientium ad fidei propagationem, & litterarum culturam. *Barb. in Trid. n. 10. & 11.* Quando jus conferendi, vel præsentandi ad beneficium pertinet ad Prælatum, simul & Capitulum, requiritur expressus Capituli consensus, sine quo collatio, vel præsentatio irrita erit. *c. 6. b. t. ibid. Barb. n. 5.* si ad solum Prælatum spectet collatio, sed hæc faciendâ sit cum consensu Capituli, sufficit ejus tacitus consensus, qui præsumitur, si Capitulum sciens, collationem factam à Prælato, ipsi non

contradicat, cum possit se opponere. Nec potest Episcopus augere, vel minuire Canonicatum numerum sine consensu Capituli. *c. 8. de Constitut.* nam quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. *c. 29. de Reg. jur. in 6.* Etiam est necessarius consensus Capituli, si Episcopus vult Ecclesiam Parochialem convertere in Regularem, quia hæc conversio est quadam alienationis species. *c. 73. 12. q. 2.* Nec potest Episcopus, sine Papæ consensu aliquam pensionem, aut certam portionem fructuum imponere alicui Ecclesiæ, eam Monasterijs, vel Religiosis applicandam, etiam si illius Rectori congrua sustentatio relinquatur, vel etiam si Patronus in talem impositionem consentiat. *c. 7. de Censib. c. 9. b. t.* quia est species alienationis. *Barb. in c. 1. b. t.* Potest tamen Episcopus etiam sine consensu Capituli quinquecimam partem reddituum, allarumque rerum suarum Ecclesiæ impendere ad Ecclesiam de novo construendam, vel dotandam construendam, vel convertendam in Regularem, ut dicitur. *c. 9. b. t. Vallens. in b. t. n. 1. Gonz. in c. 9. de Donat. n. 4. contra Greg. Lop. in L. 4. tit. 14. p. 1. & alios.*

102. In Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis exemptis debet Capitulum initio anni duos adjunctos de Capitulo eligere, de quorum consilio, & assensu teneatur procedere in causis Capitularium Episcopus, vel ejus Vicarius. Et vorum utriusque adjuncti pro uno tantum habentur, & aliud habet Episcopus, & potest alter Episcopo accedere, quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium, cum Episcopo tertium eligant, & si in electione tertij, etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur, & juxta eam partem, cum qua tertius conveniat, articulus in quo erat discordia, terminetur: alias processus, & inde secuta nulla sint, nulliusque producatur juris effectus. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6.* Si Ecclesiæ exempta non sint, potest Episcopus propria autoritate contra singulos de Capitulo, de consilio aliorum, procedere, sed si ibi versetur Episcopi interesse ad Superiorem devolvitur cognitio. *Barb. in Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6.*

103. Episcopus tenetur generaliter cum consilio Capituli procedere, quoties occurrit negotium alicujus momenti, quia cum Capitulo unum efficit corpus, & non decet, quod Episcopus, qui est caput, membris omisis, aliorum utatur consilio in

Eccle-

## TIT. XI.

## De his, quæ sunt à majore parte Capituli.

Ecclesiæ negotijs. *c. 4. b. t.* & præcipue debet exquirere consilium Capituli in statutis condendis. *c. 5. b. t.* in Clericorum institutione, & destitutione, in eorum defectibus corrigendis, in administratione rerum Ecclesiarum extra alienationem, in præbendo consensu ad alienationem rerum pertinentium ad aliquam Ecclesiam inferiorem. *c. 4. c. 5. b. t.* in Synodo convocanda, & in novi Monasterij erectione. *Gonzal. in c. 9. de Donat. num. 4.* Episcopus cum consilio Capituli eligit Magistrum, qui Clericos aliosque Scholares pauperes grammaticam doceat. *Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1. L. 9. tit. 14. p. 1.* idem videtur itari circa electionem Magistri, qui Sacram Scripturam doceat in Cathedralibus, & Collegiatis, qui est Canonicus Lectorialis. Hodie tamen, saltem ex consuetudine, ejusmodi præbenda per concursum, & oppositionem confertur illi, in quem major pars Capituli consentit; in cujus electione Episcopus unum tantum suffragium habet. *Machado in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 5.* & ita dispositum est quoad has Indiarum Provincias. *L. 7. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* ubi, jubetur, quod hæc præbenda per concursum conferantur, & servetur forma circa earum provisionem, quæ in Civitate Granateni servatur. Si actus, qui cum alterius consilio debuit fieri, eo non requisito, fiat, est validus, nisi in dispositione additum sit Decretum irritans actum, si fiat sine consilio, vel consilij petitio sit conditio, sine qua non, actus subsistit, vel si hoc modo commissio delegetur. Nam forma mandati servanda est. Vel si cum hac obligatione concessa sit potestas, etiam ordinaria, vel si Consiliario detur potestas faciendi actum commissum, casu quo ejus consilium non exquiratur, vel si actus fieri jubetur cum consensu, & consilio alterius. Potest tamen Episcopus, etiam sine consensu Capituli, negotia exigua, & minoris momenti peragere. *L. 7. tit. 14. p. 1.* vel quando causa est notoria, vel si necessitas urgeat, vel iusta, & legitima causa suadeat, non exquirat consilium Capituli, & præcipue, si consuetudine legitima sit inductum, quod Episcopus, vel Prælatus sine consilio Capituli procedat, etiam in casibus, in quibus alias de jure requiritur. *c. 6. b. t. L. 7. tit. 14. p. 1.*

*Barbof. in c. 1. b. t. n. fin.* Et sic videmus sæpe fieri.

104. UT Capitulum censetur legitime congregatum, debent Capitulares ad ipsum vocari. Et quidem aliquando, non solum præsentem, sed etiam abentem ad Capitulum, sunt vocandi. *L. 10. tit. 14. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. En tal logar, scilicet, quando est eligendus Prælatus. c. 42. de Election. vel si cessatio à Divinis est indicenda. c. 8. de Offic. Ord. in 6.* vel si Canonicus est recipiendus, vel conferenda sunt præbenda, vel beneficia. *c. 33. de Præbend. in 6.* vel si negotium tractandum in singulorum præjudicium singulare tendit; *arg. c. 4. de Constit. util. L. 11. ff. de Servitut. prædior. rustice.* vel si negotium valde arduum occurrat, & non sit periculum in mora. Et quoties ita dicitur consuetudo legitime præscripta; *arg. c. fin. de Consuet. Regulariter* tamen non sunt vocandi procul abentes, qui periculose expectantur, & vocantur cum difficultate. *L. 10. tit. 14. p. 1. junct. Glos. V. En tal logar:* præsentem verò necessario sunt vocandi, quia cum jus suffragij omnibus Capitularibus competat, non sunt privandi, sine justa causa. *L. 10. tit. 14. p. 1. ibi: A todos los del Cabildo deben llamar, seyendo en tal logar, donde pudiesen en buena guisa venir, si omnibus vocatis, aliqui, quia nolunt, non compareant; nec enim ad comparandum cogi possunt; arg. c. 42. de Elect. nisi ejus præsentia valde necessaria esset Ecclesiæ: Ceteri in negotio procedere possunt, etiam si plura tertia pars Capitularium desit: tunc enim penes præsentem tota Capituli facultas residet, cum abentes pro ea vice, juri suo renuntiarint. Si verò plura tertia pars Capitularium, qui vocandi erant, contempta sit, ab illis gestum est nullius momenti in quacumque materia ex defectu potestatis, quæ quidem residet in duabus partibus Capitularium. *Abb. in c. 1. b. t. n. 16.* Si unus, vel aliqui tantum sint neglecti, quod in eorum abentia factum est, jure subsistit: potest tamen in irritum à neglectis revocari. *c. 33. de Præb. in 6. c. 36. de Elect. Quia plus in talibus consuevit contempus unius obesse, quam multorum contradicctio in præsentem. L. 10. tit. 14. p. 1. ibi: E si asi no lo fuesen, (id est, llamarlos) non**

*valdria nada su fecho, queriendolo contradecir los que non fuesen llamados, quier fuesse uno; o muchos: e esto es, porque mas empeceria de apreciamento de uno, que non fuesse a tal fecho llamado, que contradicion de muchos, que fuesen presentes, quando lo quisessen hacer.* Nec in talium absentia gestum esset nullum, quamvis sit rescindibile, etiam si extaret in tali Ecclesia statutum, etiam juramento Capitularium firmiter annullans acta, & decreta, in quibus aliquis, vel aliqui ex Capitularibus in loco praesentibus non vacarentur: imo tale statutum nullum foret utpote contrarium Juri Communi; arg. c. 9. de Major. & obed. juxta quod taliter gesta valida, licet rescindibilia, sunt; c. 33. de Prebend. in 6. illi, qui debuissent, & commode potuerunt vocari, sunt inter praesentes connumerandi quoad computum suffragiorum. Nam si Capitulum ex 20. Capitularibus consistat; & duo sint contempti, si pro una parte stent decem, licet sit major respectu praesentium, non tamen respectu omnium vocandorum, sed debent stare undecim ad majorem partem constituendam, ne via fraudibus aperiatur. Nec contempti debent ex injuria ipsis facta detrimentum pati, nec contemptores commodum reportare ex injuria, quam fecerunt.

105 Cum vero ferè impossibile sit, quod omnes in negotiis, praecipue arduis, consentiant, ne inedia maneat omnia ferè negotia, non requiritur, quod omnes consentiant: imò statutum, vel consuetudo omnium requirens consensum, ut irrationabilis, non valeret: sed sufficit, quod major, & sanior pars Capituli conveniat, dummodo sint congregatae saltem duae partes eorum, qui adesse debent, possunt, & volunt, sive in loco praesentium, & vocandorum. c. 11. h. t. Nam penes duas Capituli partes residet tota Capituli vis, & facultas. l. 3. l. 4. ff. Quod cuiusq. Univ. nisi ubi est contraria consuetudo. Major enim obligat minorem, etiam invitam. c. fin. h. t. & quod à majori, & saniori Capituli parte fit, à toto Capitulo factum creditur. Gonz. in c. 1. h. t. n. 6. & alij, ita ut minor possit cogi Decreto, seu ordinationi majoris obedire. Si vero Decretum non sit rationale, minor pars, imò & unus se opponere potest, si causam rationabilem asserat, & eam coram Superiore Capituli, & electis Arbitris probet. c. 1. h. t. In actibus Capitularibus pars major consideratur, non tantum respectu habito ad alias, in quas Capitulares dividuntur, sed ad totum Capitulum, seu

Collegium. Hinc, si Capitulares habentes suffragium essent 43, non sufficeret, quod unus ex coopositoribus haberet pro se viginti suffragia, si reliqua inter quatuor, vel sex ex coopositoribus dividerentur, quia licet tunc habere pro se majorem Capituli partem respectivè ad alios, non tamen absolute haberet majorem partem Capituli: sed habere debet 22. suffragia, & ea quidem essent satis ad majorem partem constituendam, licet non unum integrum suffragium, sed dimidium tantum esset supra medietatem Capituli, quamvis ab aliqua Communitate exigeretur unum suffragium supra medietatem. Non sufficit, quod major pars aliquid decernat, nisi simul sit sanior. l. 10. tit. 14. p. 1. sanior igitur est, quae alteri praevalet zelo, dignitate, & integritate. In dubio pars major sanior censetur. Et sic jam communiter in Monasteriis, & Capitulis observatur. Gonz. in c. 1. h. t. n. 6. Greg. Lop. in l. 10. tit. 14. p. 1. V. Mas razonable.

106 In aliquibus casibus non sufficit major Capituli pars, ut accidit in actibus voluntariis, & facultatis: vel si de re ad singulos, ut universos pertinente agatur. c. fin. de Majorit. nam tunc omnium requiritur consensus. l. 10. tit. 14. p. 1. ibi: *Pero si otra cosa quisieren hacer, e ordenar por su voluntad, e non por premia ninguna, en esta razon todos deben acordar para valer aquel fecho. E si alguno de ellos contradixesse, non valdria lo que los otros ficiesen.* Et ibid. Greg. Lop. V. Por su voluntad. Glof. in c. Cum omnes, de Constitution. Similiter omnium consensus requiritur, si electio transferatur in unum, vel plures per compromissum, vel si extranei ad electionem admittantur; arg. c. 29. de Reg. jur. in 6. ibi: *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari: & c. 56. de Reg. jur. in 6. ibi: In re communi potius est conditio prohibentis.* Si Episcopo ameni est dandus Coadjutor, requiritur, vel totius Capituli consensus, vel duarum partium. c. un. V. Si vero, de Cleric. agrot. in 6. In Pontificis electione, duae tertiae partes Cardinalium in unum, necesse convenire debent. c. 6. de Elect. similiter si electio cum postulatione concurrat; nam si postulandus non habeat duarum partium suffragia, praevalet electio. c. 40. de Election. vel ubi statutum, vel consuetudo exigat duas suffragiorum partes; arg. l. 3. ff. Quod cuiusque.

107 Quando à majori parte est aliquid decretum in alicujus detrimentum, si ad illius actus valorem requiritur consensus expressus, non tenetur volens contradi-

cere;

tere, expressè contradicere, sed sufficit tacere, quippe tacens non consentit expressè. c. 44. de Reg. jur. in 6. locus erit, si ad valorem actus sufficit consensus tacitus: nam ex eo quod non contradicat, consentire videtur. c. 43. de Reg. jur. in 6. Et si de praedictio Ecclesiae, vel suo agatur, potest appellare, & licet non sit necesse appellare; ut ait Abb. in c. 1. h. t. n. 13. Si appeller, non poterit cogi obedire Decreto majoris partis, quia appellatio pendente nihil est innovandum: et si pars major ad executionem Decreti, ut potest procedat, si appellatio legitima fuisse agnoscatur, revocantur quae post ipsam facta sunt. Praelatus cum majori parte Capituli, contradicente minori, statueri potest, quod ad necessariam reparationem fabricae, quilibet Canonicus conferat certam redituum portionem si hoc necessitas, vel utilitas Ecclesiae exigat. c. fin. h. t. Quia sua Ecclesiae, cujus fructibus gaudet, omnes tenentur succurrere, etiam cum aliqua diminutione suorum redituum, quos quidem ab Ecclesia percipiunt: cum hoc enim onere ipsis assignari videntur redditus Ecclesiastici. Non verò potest Episcopus, etiam cum majori parte Capituli, aliquid statuere in praedictum, & diminutionem reddituum ad singulos, quae tales jure Collegij spectantur, ut ad aliquod opus pium, & extraneum applicentur; si hoc non sit specialiter necessarium, vel utile Ecclesiae, nisi omnes, cum omnes tangat consentiant. c. 29. de Reg. jur. in 6. In instrumentis, quae super actis Capitularibus fiunt, non est necessaria omnium Capitularium subscriptio, sed satis est consuetum Capituli sigillum apponi, & exprimi in contextu, vel in fine instrumenti, quod à Capitulo sit gestum: debet tamen attendi, & servari consuetudo cujuslibet Capituli, vel Communitatis.

## TIT. XII.

*Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.*

108 **C**UM beneficium detur propter officium. c. fin. de Rescript. in 6. ratio naturalis dicitur, ut ille, qui subit onus officij, etiam commodum beneficii percipiat. c. 77. de Reg. jur. in 6. Et quidem sine diminutione, ut in praesenti Rubrica, & ejus capite unico decidi-

Tom. I.

tur; & in l. 5. tit. 14. p. 1. *Enteramente, e sin menoscabo deben dar los Perlados las Dignidades, e los Beneficios de Santa Iglesia, a los Clerigos a quien los dierem.* Et quia beneficia diminuantur per impositionem pensionum, ideo de eis hic agere oportet. *Pensio* (sic à pendendo dicta, quia pendet à beneficio à quo extrahitur sicut usufructus à proprietate) est jus aliquos fructus percipiendi ex beneficio alieno, alicui, qui pensionarius dicitur auctoritate legitima, & iusta de causa concessum: vel in perpetuum, & tunc verè est beneficium Ecclesiasticum, si in officio spirituali fundatur: vel ad tempus: & sic regulariter conceditur. Pensio alia est Laicalis, Ecclesiastica alia. Laicalis est, quae Laico ob temporale ministerium conceditur: ut defensori Advocato, Procuratori, Edicto, Cantori, & alijs Ecclesiae Ministris, vel Patrono in recognitionem fundationis, vel alijs benemeritis in laborum remunerationem. Et haec certè non est beneficium Ecclesiasticum, cum nec statum Clericalem, nec officium spirituale exigat. Ecclesiastica est, quae necessario in pensionario exigat Clericalem statum: quae fit detur ob ministerium spirituale; v. g. Episcopi, vel Parochi Coadjutori, Vicario, Concionatori, &c. spiritualis dicitur, & si in perpetuum detur, ut Commendae, vel Vicariae perpetuae proprie erit beneficium Ecclesiasticum. Gonz. in c. 21. de Prebend. in 6. Alia datur Clericis, non ob spirituale ministerium, sed ob aliud motivum; v. g. ad ordinariam sustentationem, & dicitur mixta. Et haec licet non sit verè beneficium. c. 4. de Preb. in 6. Triad. sess. 21. de Res. cap. 2. quia regulariter ad tempus datur, ac proinde decet illi perpetuitas propria beneficii, & quia non fundatur in officio spirituali, cum saepe detur in alimentorum subsidium, hodie tamen instar beneficii habetur, cum non nisi Clericis possit concedi, & ad tonsuram, & recitationem officij parvi B. V. obliget. Gonz. in c. 21. de Prebend. in 6. & sic ad concordiam redigi possunt A. A. in hac materia discordantes. Hinc Jure Communi solum est capax pensionis Ecclesiasticae ille, qui sit Clericus saltem prima tonsura initiatus, quando ipsi pensio confertur, nec sufficit, quod postea Clericus fiat, ut valider collatio. c. 18. de Reg. jur. in 6. etiam si talis Clericus non habeat 14. annum. Barb. l. 2. fur. Eccles. cap. 11. n. 42. contra alios, imò etiam ante septennium sit ordinatus ex dispensatione potest pensionem habere. Et si illegitimus est dispensatus, ut recipiat

Mmm 2

cipiat

cipiat primam tonsuram, non indiget alia dispensatione ad beneficium. *Garcia de Benef. p. 1. cap. 5. n. 116.* irregulares non esse incapaces pensiones est declaratum apud *Garc. p. 1. cap. 5. n. 135. Pignat. tom. 6. consil. 73. n. 4.* sed non potest ipsis sine dispensatione conferri. *Allou. V. Pensio, n. 5.* nec debet conferri pensio Clericis excommunicatis, suspensis, bigamis, nec conjugatis, quia conjugati, excepto privilegio Canonis, & fori in criminalibus, pro Laicis habentur. Nec Religioso potest conferri pensio ex beneficio seculari, nam Religiosus est incapax pensionis secularis, sicut, & secularis beneficii. Nec item potest conferri. Novitio, nam licet per ingressum in Religionem fiat persona Ecclesiastica, non tamen fit Clericus.

109 Pontifex ex amplissima potestate, qua supra Jus Canonicum gaudet, potest quascumque pensiones, sive Ecclesiasticas, sive Laicales, sive temporales, sive perpetuas in quacumque quantitate, & quibuscumque beneficiis imponere. *c. 2. de Præbend. in 6.* Et quamvis pensio sine iusta causa, utpote leviter, & temere concessa sit illicita, valida tamen est. *Gonz. in c. 21. de Præb. n. 8. Sanchez in Decal. l. 7. cap. 29. n. 97. Garcia de Benef. p. 1. cap. 5. num. 275. Barb. l. 3. Jur. Eccl. cap. 11. n. 55.* contra *Tolet. & alios.* De plenitudine quidem potestatis Pontifex, & quidem solus, potest Laicis pensiones Ecclesiasticas concedere, quæ dicuntur *Cavalleras*, nec beneficiarij, nec patroni consensu indiger. Sed quia Pontifex non præsumitur velle beneficio patronato pensionem imponere, est necessarium hoc in scripto exprimi. *Garc. p. 1. cap. 5. n. 361.* Etiam exprimi debet, si beneficium jam altera pensione sit gravatum, quia non præsumitur Pontifex velle gravare Ecclesiam duplici onere: alias litteræ pro subreptitijs habentur. *c. 20. de Rescript.* quia si has circumstantias sciret Pontifex, vel non imponeret, vel difficiliter imponeret pensionem. Episcopus non potest beneficio perpetuas imponere pensiones: nam hoc proprium Pontificis est: & sic sunt intelligendi. *Text. in c. 7. de censib. c. 8. de Transact.* potest tamen pro bono pacis in beneficio litigantium. *c. 21. de Præb.* vel ex alia iusta causa Ecclesie utilitatem concernente imponere pensionem, quæ ad vitam pensionarij duret; ut *ex c. 30. §. Qui verò, de Præbend.* colligitur à contrario sensu, sine iusta causa citi invalida pensionis impositio, debetque exprimi, & probari: alias in fraudem beneficij facta censetur.

*Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. num. 269. & 224. Gonz. in c. 21. de Præb. n. 8.* Et licet beneficiarius moriatur ante pensionarium, onus pensionis solvenda ad successorem in beneficio transit; *arg. c. 5. de Transact.* ibi: *Sed census absque Episcopali auctoritate, cui præest Ecclesia sub hoc prætextu solutus vitam ejus, qui solverit non excedit.* Ergo à contrario, accedente Episcopi consensu potest census, seu pensio excedere vitam beneficiarij, qui solutus est, ita tenet *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. n. 295. & alij.* Negant tamen *Sanch. in Decal. l. 7. cap. 29. n. 99. Less. de Just. & Jur. l. 2. cap. 34. n. 206. ex c. 21. de Præbend. ibi: Non dignitas Prioratus, sed persona prioris maneat onerata.* Sed in prædicto textu Pontifex loquitur de Judicibus delegatis, qui etiam à Papa delegati non possunt in præjudicium Episcopi sine ejus consensu pensionem beneficiis imponere, quæ ad successorem transeat. *Text. in c. 7. de Censibus, & in c. 8. de Transact.* intelligantur de pensione perpetua.

110 Pensio regulariter reservatur in ipsa beneficij collatione, quando adhuc beneficium vacans est, & tunc est constitutus defensor beneficii, cujus consensus ad impositionem pensionis requiritur aliquando etiam imponitur, postquam beneficium est collatum, & quidem tunc non potest Episcopus imponere pensionem sine consensu saltem tacito beneficiarij, quia jam habet jus in beneficio. Si beneficium patronatum sit, etiam requiritur patroni consensus, saltem quando pensione non tantum beneficiarius, sed etiam beneficium oneratur, nisi patronus requisitus ab Episcopo irrationabiliter teneat, & magna utilitas Ecclesie ex tali pensione sequatur. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. n. 359. & 360.* cum resignatio, quæ fit in favorem non possit in Episcopi manibus fieri; hinc non potest Episcopus ex causa resignationis pensionem imponere, neque in favorem suæ, vel Capitularis mensæ potest pensionem imponere, ne in facto proprio, & ad suam utilitatem auctoritatem præferat. *Cl. 2. de Rebus Eccl. non alienand.*

111 Pensio ita ex beneficio extrahenda est, ut beneficiario congrua portio ad sustentationem maneat, & ut possit jura Episcopaliaolvere. *c. 12. de Præbend. & reducenda erit ad debitam quantitatem, si eam excedat arg. c. 36. de Præbend. ac proinde, Trid. sess. 24. de Ref. cap. 13.* sic statuit: *Omnes Cathedrales Ecclesie, quarum redditus summam ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam ducatorum cen-*

tam, secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. Nec beneficijs simplicibus, si annui redditus non excedant summam 24. ducatorum pensio imponitur. Et sic habet stylus Curie. *Azor p. 2. l. 8. cap. 8. q. 7.* Si has summam beneficia excedant, usque ad tertiam partem reddituum possunt onerari. *Azor p. 2. l. 8. cap. 8. q. 5.* sed stylo Curie, teste *Flamin. de Resignat. l. 6.* beneficio simplici imponitur usque ad medietatem. Non tamen censetur pensio constituta in distributionibus quotidianis, nisi hoc specificè exprimat, quia hæ non sunt fructus beneficij, sed laboris stipendium. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. n. 379. & 387.*

112 Pensionarius postquam pensiones percipere coepit, vel per ipsum itat, quominus percipiat, si hæ 60. ducatorum auri de Camera excedant (& non aliter) tenetur constitutum, & habitum Clericalem deferre: alias pensione privatur ipso facto *ex Constit. S. Pij V. & Sixti V.* apud *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. ex n. 10.* si beneficiarius, præter pensionem habeat beneficium, vel sit in Sacris Ordinibus constitutus, sufficit, si recitet tantum horas Canonicas; quod si beneficio, & ordinibus majoribus careat, sed solam pensionem habeat, tenetur recitare Officium parvum B. V. M. *ex Constit. S. Pij V.* Quod si omittat recitare, non facit suos fructus pensionis. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. ex n. 17.* & prorata fructuum, quos percipit, tenetur ad onera beneficio annexa, v. g. ad subsidium charitativum, & collectas, quæ beneficijs imponuntur, quia si sentit commodum, & onus sentire debet. *c. 77. de Reg. jur. in 6. Azor p. 2. l. 8. cap. 9. q. 2.* nisi à Papa concederetur pensio ab omni onere exempta. *Garc. p. 1. cap. 5. n. 172.* ille, in cujus beneficio constituta est pensio, tenetur sub gravi eamolvere, & cum sit onus reale beneficij, quod non præcisè ratione fructuum debetur, sicut non augetur pensio, cum fructus ubertim crescunt, sic nec minuitur, si fructus uno, vel altero anno decreverint, vel deficient. *Arg. c. 3. de Locat. & conduct.* Pensiones nondum solutæ à beneficiario, qui mortuus est, vel cessit beneficio, si extent apud successorem in beneficio, ipse eas solvet, si apud hæredem hæres ipse solvet: si verò in utilitatem Ecclesie convertæ sint, à successore in beneficio solventur: si in hæredem utilitatem sint consumptæ, ab hærede solventur. Quando verò antecessor male

consumpsit pensiones, vel in privatos suos usus impendit, recurrendum est ad successorem in beneficio, ut eas solvat. *Arg. l. 7. ff. de Public. & velligal.* sed ipse poterit adversus beneficiarium, si vivat, vel eo mortuo adversus ejus hæredes, actionem intentare, ut ipsi sit solutum restituant. *Arg. c. 3. de Pignor.*

113 Pensio extinguitur 1. per mortem pensionarij, quia hæc servitus solum ad ejus vitam durat, & si imposita sit solum beneficiario, ut onus personale, illius morte etiam extinguitur: secus, si tamquam onus reale beneficio imposita sit. 2. per Matrimonium à pensionario contractum *ex Constit. 73. S. Pij V.* nisi à Pontifice dispensetur. 3. per professionem Religiosam, etiam in ordine Militari, si veri Religiosi sint, ut Equites Melitenses. 4. per Episcopatum, postquam Episcopus consecratus, & possessionem adeptus est. *Arg. c. 7. §. Cum verò, de Elect. & præcipue ex Constit. Julij II. & Clem. VII. Constit. 8. ann. 1524.* exceptis Episcopis Titularibus. *Hispan. de Anillo, & Episcopis Cardinalibus Ecclesiarum Officis Velitrensis, &c. 5.* per crimen hæresis *c. 9. de Hæresis.* vel lesæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ. Vel si pensionarius aliquem Cardinalem percussisset. *c. 5. de Pen. in 6.* vel Episcopum, in cujus Dialecto habet pensionem. *Clem. 1. de Pen. in 6.* si pensionarius monitus ut deseret habitum, & tonsuram Clericalem, non obediat *ex Constit. Sixti V. Cum Sacrosanctum, 5. Idus Januarii 1588.* si pensionarius fiat Miles, & monitus, non deserat militiam. 8. si pensionarius in perpetuum remittat, ut potest facere, pensionem, cum in sui favorem sit concessa. Et quidem propria autoritate potest eam remittere, cum non sit proprie beneficium, 9. si adquirat beneficium, in quo pensionem habet, quippe consolidatur cum beneficio, sicut ususfructus cum proprietate.

114 Pensio temporalis redimi potest à beneficiario, ut talis obligatio extinguatur, & etiam vendi absque vitio simoniae valet, quia cum sit separata à titulo spirituali, nihil simoniae illius venditio continet. Pensio verò spiritualis, nec redimi, nec vendi, nec commutari potest: fructus tamen pensionis possunt redimi, & elocari, quippe sunt meræ temporales: Imò potest pensionarius retento jure pensionis totum commodum temporale pensionis propria autoritate in alium transferre etiam cum pacto de habenda alia re temporali ejus loco, nam



sic tantum cedit fructus, qui utique vendibiles sunt. *Lacr. lib. 4. n. 1172.* Pensio mixta jure antiquo redimi, & vendi poterat. *Less. de Just. & Jur. l. 2. cap. 35. n. 124. & 125.* de stylo Curia vendi non potest sine Pontificis autoritate, & vendens punitur, ut simoniacus, tamen redimi posse sine Papæ autoritate, tenent *Suar. Toled. & Less. de Just. & Jur. l. 2. cap. 35. n. 129.* quod negant *Navar. de Simon. conf. 59. n. 1. Flamin. de Resign. 16. q. 2. n. 128. & alij.* Sed usus Curia habet, quod non redimatur pensio ipsa, sine Papæ autoritate, & requiri litteras Apostolicas ad hanc redemptionem. Si tamen propria autoritate redimetur, *Cajet. Suar. Less. & alij.* contra *Henric. Garc. & alios*, dicunt, nullum esse peccatum pensionem jam antecedenter constitutam redimere, anticipatè solvendo; si certa summa daretur, quæ esset velut anticipata solutio decem, vel viginti annorum, considerata ætate, & complexione pensionarij; sed tunc solum esse contractus pensionis secundum proportionem spei lucri, & metus damni, commutando solos fructus cum illa summa pecuniæ, remanente pensione, seu jure ad fructus penes pensionarium, quamvis plus velle videantur prædicti Authores. *Lacr. lib. 4. ex n. 1182.* Pensio transferri potest de una persona in aliam, sed non aliter quam de Pontificis licentia, ubi extinguitur antiqua pensio, & nova ejusdem valoris alteri conceditur. *Garc. de Benefic. p. 1. cap. 5. n. 242. Azor p. 2. l. 8. cap. 11. q. 2.* Et potest pensionarius, dum sit compos mentis, eam in articulo mortis, sed non per testamentum transferre. *Garc. p. 1. c. 5. n. 56. Lacr. lib. 4. n. 1170.*

115 Non possunt Collatores, nec Patroni aliquam partem fructuum sibi, vel consanguineis retinere. *c. 7. de Consensibus. c. un. h. t.* Et si in ipsa collatione, vel presentatione faciendâ, eos exigerent esset simoniaca, & irrita. *c. un. h. t.* Imò nec Episcopus, nec alij Collatores possunt beneficiorum collationem differte ad percipiendos interim fructus beneficij vacantis; *arg. c. 50. §. fin. de Præbend.* sed hi successorij reservari debent. *c. 4. de Offic. Ordin. c. 9. cod. in 6.* vel debent dividi inter successorem, & Ecclesiam. *c. 40. de Elect. in 6.* Et licet fructus adhuc pendentes tempore mortis beneficiati, etiam debeant successorij reservari, tamen ex consuetudine dividuntur prorata temporis inter heredes beneficiati, & successorem in beneficio. In his Provincijs India-

rum redditus, qui percipiuntur, vacante Ecclesia Episcopali, vel Archiepiscopali, dividuntur in tres partes. Una reservatur successorij, altera Ecclesie vacanti tribuitur, & de tertia disponunt nostri Regis ut Indiarum Patroni, & applicant ad causas pias pro suo arbitrio. *L. 41. tit. 7. lib. 1. R. Ind. Solorz. Politic. Indiar. lib. 4. cap. 12.* Potest tamen Episcopus in ipsa collatione cum consensu capituli, non præcedente pacto cum eo, cui est conferendum beneficium, fructus beneficij vacantis si redundantes habeat, in causam necessariam reservare, v. g. ut debita Ecclesie solvantur, vel ut fabrica reparetur. *c. un. h. t. & ibid. Barbos. n. 10. alios citans. L. 5. tit. 14. p. 1. ibi: Pero si el Perlado con su Cabildo es abieciofen de tomar las rentas de algun Beneficio, que vacare de su Iglesia, para meterlas en alguna cosa convenible, que fuesse menester a pro de la Iglesia, bien lo puede hacer, & tomarlas fasta algun tiempo cierto: pero esto se entienda, ante que lo oviesse dado.*

¶ Tandem Benedictus XIV. providens congruæ, & decenti sustentationi Clericorum, irritat, & annullat contractus, quibus Clerici alienant, cedunt, vel vendunt redditus annuos beneficiorum, quos donec viverent, possent percipere, accepta pecunia uno actu ad eam summam, & quantitatem, quam ipsi durant evita possent percipere: Sic in *Const. Universalis An. 1741. \**

## TIT. XIII.

## De Rebus Ecclesia alienandis, vel non.

116 Ecclesia in presenti latè accipitur, ita ut non solum comprehendat Tempia, Capellas, & Oratoria dedicata Sacris Ritibus ad celebrationem Missarum, & Divinorum Officiorum, & in venerationem Sanctorum, sed etiam pia loca, autoritate Episcopi erecta ad operâ pietatis, misericordie, & Religionis exercenda, ut Monasteria, Congregationes, Hospitalia, & similia. *Extrav. Ambrosiana h. t. inter com. Auth. Hoc jus. C. de Sacros. Ecclesie.* Et quamvis in jure præcipue prohibeatur alienatio, qua res Ecclesie particularis in aliam Ecclesiam transferuntur. *c. 1. h. t.* Alienatio in presenti, non solum comprehendit translationem dominij directi, ejusmodi est venditio,

ditio, donatio, permutatio, &c. *L. 65. ff. de Verb. signifi.* sed etiam translationem dominij utilis tantum, retento directo. *c. 6. h. t.* vel jusculumque alterius juris in re. *L. fin. c. de Reb. alien. non alien. l. 1. tit. 14. p. 1. Gonz. in c. 5. h. t. ex n. 4. & alij.* Prohibetur ergo, præcipue in *c. 5. h. t. L. 1. tit. 14. p. 1.* donatio, venditio, permutatio concessio in feudum, vel emphyteusim: transactio, qua in alium transferuntur res Ecclesie, vel possessionis ejusdem. Cessio litis, quæ pendet super re Ecclesie prohibita alienari. Compromissum, unio perpetua unius Ecclesie, vel beneficij cum alia Ecclesia, vel beneficio. *Arg. Cl. 2. h. t. Condicio, id est pactio, seu conventio, ut in L. 7. c. fin. de Pact. sumitur, quæ quidem afferret Ecclesie præjudicium, etiam citra translationem dominij directi, vel utilis. V. g. si usufructus, vel alia servitus constitueretur. Arg. c. 20. 12. q. 2. L. fin. C. de Rebus alien. non alienandis, omisis alijs hujus vocis intelligentijs apud. Gonz. in c. 5. h. t. n. 5.* Et licet Prælati Ecclesie non possint in re Ecclesie servitutem realem, vel personalem constituere. *L. fin. C. de Reb. alien. non alien.* potest tamen fructus vendere, & locare sine præjudicio successoris. *c. 2. de Locat.* etiam hypotheca specialis prohibetur, non verò generalis: nam hypotheca specialis plus juris transfert in creditorem, quam generalis; quæ magis distat à periculo alienationis. *c. 5. h. t. Covar. lib. 2. Var. cap. 16. n. 7. Barb. de Offic. Episcop. alleg. 19. n. 85.* Etiam continetur in hac prohibitione repudiatio hæreditatis, vel legati. *Gonz. in c. 5. h. t. n. 13.* alios citans, quia licet non sit stricta alienatio, est tamen alienatio lata. *L. 28. ff. de V. S. l. 5. §. 8. ff. de Reb. eorum, qui sub Tutel. ibi: Fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris autoritate non potest: esse enim, & hanc alienationem cum res sit pupilli, valet dubitat.* Et à pupillo ad Ecclesiam valet argumentum. *Arg. c. 1. de In integr. restit.* Nec Prælati potest dux Ecclesie præjudicare, quod quidem faceret, renuntiando juri, quod ad hæreditatem, vel legatum habet Ecclesia. *Arg. c. 2. h. t. in 6.* Negant tamen talem repudiationem prohiberi. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg. 95. n. 54. Saneb. de Matr. l. 6. D. 4. n. 11. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 24. n. 65.* ubi nostram sententiam valde probabilem dicit. In alienatione prohibita, etiam comprehenditur translatio, & permutatio rerum unius Ecclesie particularis in aliam. *c. 43. 16. q. 2. c. 1. h. t.*

& ibid. *Alag. & alij.* Si verò ministris proprijs satis sit provium, & altera Ecclesie indigeat, potest Prælati jurisdictionem, saltem Episcopalem, habens, de consensu Capituli. *Arg. c. 3. de His, quæ sunt à Prælat. & patroni, si patronata sit, hanc translationem de una ad aliam Ecclesiam facerentur particulares Ecclesie debent sibi invicem subvenire, tamquam ejusdem corporis, scilicet Ecclesie universalis, membra.*

117 Res Ecclesiasticæ in triplici sunt differentia. 1. sunt quedam, quæ possunt sine aliqua solemnitate alienari. 2. sunt alia, quæ nec solemnitate adhibita alienari possunt. 3. alia denique, quæ possunt alienari, sed adhibita juris solemnitate. Res, quæ respectu Ecclesie inutiles sunt ex aliqua circumstantia, etiam si immobiliæ sint, cum nullum, vel exiguum commodum Ecclesie afferant, possunt sine solemnitate vendi à Prælato, ut ex illarum pretio alia utiles emi possint. *c. 52. §. Item domus, 12. q. 2. c. 7. c. 8. §. Possessiones, h. t.* & ideo servi fugitivi possunt ab Ecclesia alienari, vel vendi. *c. 4. de Res. permutat. & alia hujusmodi res, quæ Ecclesie damnum afferunt.* Possunt etiam alienari res mobiles non pretiosæ, & quæ servando servari nequeant, quæ scilicet usui ipso consumuntur, vel brevi tempore veterascunt, ut frumentum, vinum, oleum, fructus, pecudæ, pleræque vestes, &c. *Barb. in c. 8. de His, quæ sunt à Prælat. n. 4. & alij. Arg. l. 22. l. 24. C. de Administr. Tutor.* Bona etiam immobilia ab antiquo dari solita in feudum, vel emphyteusim, si in Ecclesiam revertantur, cum jam facta sint alienabilia, possunt sine solemnitate alienari, si sit in Ecclesie utilitatem: ac proinde possunt in feudum, vel emphyteusim dari. *c. fin. de Feudis.* Res modicæ, & exigui valoris, etiam immobiles, si utiles Ecclesie non sint, & aliqua adlit necessitas, possunt sine solemnitate alienari, etiam post Trident. quippe non est per ipsum derogatum Textui in *c. 53. 12. q. 2. & c. 3. de Donat. Barb. de Pot. Episcop. alleg. 95. n. 50. Mascard. de Probat. conc. 277. n. 12. Redoan. Gratian. & alij contra Gonz. in c. 8. h. t. n. 3. & alios.* Pecunia, quam ex redditibus, vel fructibus venditis percipit Ecclesia, potest liberè, & absque solemnitate expendi à Prælato, quia ex sua natura in quotidianos usus convertenda est, quippe quæ otiosa nullum fructum parit. *Barb. de Pot. Episcop. alleg. 95. n. 49. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 465.* non tamen potest sine solemnitate alienari pecunia, quæ in The-